

nem. At ille tantam in eo benignitatem et clementiam
videns erubuit et quasi telo verborum eius gestorumque
percussus ac semetipsum pro his quae commiserat notans,
misericordem et optimum collegam sequitur ad montem.
35 Cumque illuc pervenissent, exorat ut sibi secretiore in
cellula concluso adituque obstructo panem tantum, inte-
riectis diebus, atque aquam praeberet; si quis autem de
eo requisisset defunctum se esse affirmaret. Quibus impe-
tratis, semetipsum conclusit ibique permansit ieuniis
40 et orationibus ac lacrimis peccati sui diluens sordes;
tempore autem transacto non multo, cum penuria
imbrium vicinas regiones siccitas ureret et omnes qui
habitabant illam terram lugerent, quidam ex ipsis admo-
netur in somnis abire ad virum qui erat intra cellulam
45 clausus ut ipse oraret, nec aliter dandas esse pluvias
monet nisi illius precibus impetratas. Cumque assumptis
secum nonullis abisset et collegam eius solum vidisset,
percontabantur de illo quem visio mandaverat perquiren-
dum. Ubi vero defunctum esse audivit, falsum se opi-
50 nabatur in somniis. Rursus ad preces Domini vertebantur
omnes et iterum eodem quo prius apparente sibi eadem
monetur. Tum vero instantius perurgentes eum qui prius
fefellerat, exorabant ut sibi ostenderet virum, confir-
mantes ad viventem se non ad mortuum tantae visionis
55 auctoritate transmissos. At ille ubi pactum resolutum
divinitus videt, dicit eos ad hominem Dei ac revulso
aditu quem obstruxerat, ingressi procidunt ad pedes
eius atque omnem causam pandentes obsecrant ut neces-
sitati famis orationibus subveniret. Qui primo quidem
60 excusabat, procul se esse ab huiusmodi meritis adserens.
Ita enim lugebat peccatum tanquam nuper admissum et